

THESES PHYSICO-
CHYMICÆ,

De

METALLORUM
CUM NATURA, TUM USU,
EOQVE CUMPRIMIS CHY-
MIATRICO,

Quas,

JEHOVAH OPT: MAX:
ANNUENTE,

Permissu Superiorum,

In

Almâ Septemvirali Viadrinâ

P R A E S I D E

M. JOANNE FRANCIO

Wolaviensi Silesio,

ventilandas proponit

DANIEL LUDOVICUS

Bernburgō-Anhaltinus,

Medicinæ Studiosus.

Id. Februarij hora 7. matut.

Typis exscriptis

MICHAEL KOCHIUS,

ANNO

Æra Christianæ

M. DC. XXIV.

JLLUSTRISSIMO, CEL-
SISSIMOq; PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. AUGUSTO,
PRINCIPI ANHAL-
TINO, COMITI ASCA-
NIAE, DYNASTAE SERVESTAE
AC BERNBURGI &c. PRIN-
CIPI AUGUSTIS-
SIMO;

Domino & Nutritio

Suo Clementissimo,

Primitias basce suorum studiorum

In

Humilimæ subjectionis
monumentum.


Libat,

Offert,

Consecrat

DANIEL LUDOVICUS
Autor & Resp.

THEISIS I.



E Metallorum cùm naturâ; tūm-
usu in vitâ humanâ, & cum primis
Medicinâ, disquisituri, meritò ab
ipso nomine ordimur; δέχι γαρ, in-
quit Epicetus, παιδεύσεως ή τόν οὐρα-
τον ἀπίσκεψις. Est autem metalli
vox origine Græca, composita-
que videtur ex μετά & ἄλλο, q. d.
post aliud: reddente derivationis
rationem Plinio, lib. 33. c. 6. quod una metalli vena non-
procul inveniatur ab aliâ. Id quod sibi quoq; velle videtur
Vallesius Sacr. Philosoph. c. 49. Μέταλλα, inquiens, q. μετά
ἄλλα γεγονότα, h. e. juxta alia genita; adnascuntur enim
alia aliis, auro argentum & hoc plumbo. Immò, (notati-
onis hanc annotante rationem Lœneisio præfecto minera-
rum Brunswicensium, in tractatu Germanico de Metalli-
fodinis part. i. p. 24. & 26.) quod semper viliora in melio-
ra transeant & transmutentur, quamvis unumquodq; sua
donatum sit essentiâ & formâ metallum, sub qua lateat
tamdiu donec à D E O & naturâ meliore donetur. Nam, ut
idem ait, natura semper intendit metalla meliora, nisi ma-
teriæ causarumq; reliquarum concurrentium vitio aut de-
fectu impediatur: unde in mineris argenti, plus sàpè, mi-
nusvè auri quoq; continetur. Aliam ab hac proponit ra-
tionem Eustathius comment. in il. a. Homer. ubi, Μέταλλα,
inquit, λέγονται, Διὸς τὸ μετά ἄλλα πάντα ὅπιονθνα. Sunt & qui
μέταλλον deducunt διὸς τὸ μεταλλᾶν, sed minus recte; cùm ver-
bum μεταλλᾶν, ut & μεταλλεύειν, originem potius suam nomi-
ni μέταλλον debeat.

II.

Est autem metallum corpus, in partibus terræ interiorebus, ex exhalatione elementari, vaporosâ & siccâ, cum terra permistâ, in quâ tamen aquæ partes reliquas vincût, inclusâ, & maximè in lapidibus in unum coarctatâ, & concretâ, genitum, quod igniri, fundi, & malleo duci potest. Ita ex Philosopho lib. 3. Meteorol. c. 6, & Theophrast. lib. de lapidib. rectè definiri potest.

III.

Vel. Metallum est corpus perfectè mixtum, inanimum, è succo elementari terrestri & aquoso, salino-sulphureo-mercuriali, calore cùm subterraneo, tûm astrorum excocto, frigoreq; congelato, in terræ visceribus genitum, & convenienti actu formaliter donatum, fusile & ductile, ad universi hujus cùm perfectionem, tûm ornatum, & hominum, cùm in vitâ communis, tûm Medicinâ, usum multivariorum.

IV.

Metallorum consideratio est generalis vel specialis.
Arist. l. cit.

V.

Ad generalem seu communem metallorum tractationem pertinet consideratio causarū, subjecti generationis loci & adjunctorum.

VI.

Inter causas primo loco se offert materia: quæ qualis sit acriter inter se disceptant Philosophi. Nos, ut scopulos errorum declinare, & in veritatis portum feliciter applicare possimus, in nullius jurantes sententiam, medio tutissimi ibimus. Dividimus autem materiam, in remotam, propinquam, & proximam.

Remota



VII.

Remota sunt elementa ipsa, halitusq; ex his commisisti. Atq; hac ratione admittitur rectè sententia Philosophi t.c.s statuentis: μεταλλα ορινται απο μετασεως της ατμοδωσης ηγη ξυεσαση γηγενης, adeo q; ex tali exhalatione instar roris aut pruina concrefcere: non quod proximè ex tali halitu, imperfectè misto, & non prius variè excocto, ut in roris fit concretione, generentur; sed solum remotè, ex eo variis modis prius elaborato. Id quod ipse innuit Aristot. διό ταῦτα, εἴτι μὴ ως ὑδωρ, εἴτι δε ως ὁ διωάρει μὴ γάρ οὐ ληγεῖται οὐδὲ εἴτι δε γένεται. Alias enim nec perfectè mista essent corpora metallorum, nec tantam haberent soliditatem, verum à leviori etiam calore iterum in vapores famosos facessent.

VIII.

Propinquia seu intermedia materia est, Mercurius seu argentum vivum, sulphur & sal minerale: Ex his enim horumq; halitibus à natura commisisti, & coctis, demum generatur liquor ille, seu succus metallicus (de quo thesi sequenti) proxima metallorum materia. Et hoc probant, demonstrantq; cum Chymicorum experimenta & rationes, tūm illorum, qui mineralium periti sunt, testimonia. Sit omni exceptione majus, magni illius & communis Germanie praeceptoris Philiippi Melanchthonis autonim testimonium, eleganti disticho, in valle Joachimica ad ipsos mineralium puteos scripto, comprehensum; dum canit:

Lactea ubi fumis hydrargyramista coquuntur
Sulphureis, vena Semina prima novæ.

IX.

Proxima metallorum materia est succus ex elementis primū, proximè verò ex mercurio, sulphure, sale minerali, calore digestis & præparatis, nec non variā proportione, pro cuiusq; metalli generandi na-

A 3

turā,



turâ, commixtis & unitis genitus, illorumq; naturam
æmulans, proximâq; potentia metallum existens, in
quod & promptissimè abit & congelatur. - Suco huic
favet ratio: adstipulatur experientia. ILLA quidem, cùm
omnia metalla per ignis vim in liquorem & succum resolvantur,
è succo primum liquido concreuisse, verisimiliter colligit: Et qui-
dem hunc ipsum, è tribus illis natum credit, cum pyrotechnia bene-
ficio in illa resolvatur; immò & ex illis unitis, coctis, digestis, cer-
to artificio in unum succum elaboratis metallum, arte naturæ & emu-
lā, confletur. HÆC in fodinis argentum molle instar pultis,
mox in verum argentum transiens, aquam ferruginosam sub di-
in ferrum se coagulans, inveniri testatur: HÆC limum, in Sue-
ciâ rubicundum, ex paludibus extractum, anni; in Misniâ (teste
Matthesio) quinquennij, ad solem maturatione, ferrum probatis-
simum prestantissimumq; exhibere confirmat. HÆC deniq; testa-
tum facit, omnia metalla ex materia lenta, viscosa & tenaci bu-
tyro non absimili, ex pingui crassoq; vapore, ex sulphure & mercu-
rio elevato, & cum aquâ salsa seu sale minerali resoluto, sibi invi-
cem occurrentibus, genitâ, proximè oriri. Quæ quidem materia
butyracea, à minerarum peritis, teste Matthesio in Sarepta, Magi-
stro Degenbardo, Lullio & Autore arca aperta arcani artificio-
sissimi, p. 47. & 80, vernaculo nomine GBH appellatur. Ea
si extrahatur, vel in mineris per fissuras destillet, in massam seu sty-
rias condensatur, & prout magis est excocta, eò perfectiora in se
continet metalla. Addam ex abundanti, hanc ipsam quoque
proximam metallorum materiam asserere Philosophos acutissimos,
Chymicos peritissimos. Illorum omnium instar sit Philosophus, ita
καὶ ἐξ αἰγελὸν dictus, qui digitum hoc intendisse videtur; priusquā,
inquiens, metalla fiant, concreta exhalatione, singula horum sunt.
q. d. priusquam metalla coagulentur, reverâ ita elaborata est eo-
rum materia, ex vaporibus elementaribus, ut proximè sit metal-
lum,

lum, solaq; opus habeat coagulatione. Inter Chymicos Libavius, ex
Gebero, expresse nominat, succum metallarem, item aquam metal-
licam & terram subtilem: quanquam alias non negat, Sal quoq;
Sulphur & Mercurium, immo & halitum elementarem, ut Aristoteles docet, suo modo esse materiam metallorum: Proximam itaq;
hanc materiam, per succum metallarem indigitare veluisse, jure
censetur. Alios brevitatis ergo non adduco.

X.

Forma substantialis metalli quæ sit, non minus contro-
versum est: cum primis enim in formarum disquisitione
& indagatione, similes sumus vulpeculae Æsopicæ, lam-
bentis vitrum, pultem verò non attingentis; sæpeq; pro
nucleo corticem arripimus, dum qualitates & affectiones
formarum signacula & fructus, pro ipsis formis agnoscimus.
Sunt autem tres præcipuae circa hanc doctrinam opi-
niones. Prima est eorum, qui planè ipsis formam substan-
tialem denegant; inter quos Cæsalp. lib. 1. Perip. Quæst.
q. 7. quos, cum metalla ex numero substantiarum exclu-
dant, qui in mediâ luce cœcutire non videt, næ ipse quoq;
talpâ cœcior.

XI.

Alij formam substancialē metallorum animam statu-
unt, ut Coccus Spec. Philos. I. II. c. 13. th. 3. ex Cardano, qui
lib. 5. de subt. p. 272. metalla vivere docet. Rationes quas
adducit Cardanus, Scal. exerc. 102. solvit. Videatur & Go-
tlen. 1. 5. disput. Phys. disp. 1. th. 19. & Tipl. lib. 4. ΑΨΥΧ^c
c. 8. q. 2.

XII.

Verior est eorum sententia, qui statuunt formam me-
tallorum esse actum corporis inanimati metallaris, ex
potentia materiæ eductum; per quem metallum est
metallum.

Efi-



XIII.

Efficiens metallorū primaria, est vis ueramontanica, à creatore terræ indita: Instrumentaria verò, quoad materię metallaris generationem, digestionem, mixtionem & formam metalli excoctionem, est Calor cùm externus terræ insitus, aut ab ignibus subterraneis communicans, vel ab ipso cœlo influens; tūm internus principiorum materialium: Quoad condensationem verò, cùm interna principij salini vis coagulans, tūm extēnum frigus.

XIV.

Finis metallorum aliis est respectu macrocosmi; aliis respectu microcosmi.

XV.

Respectu macrocosmi finis metallorum est, universi cùm perfectio, tūm ornatus. Cum enim metalla sint substantię, & in eorum numerum veniant, ex quibus totum collectivum, videlicet mundus, constat; si hæc deessent, imperfectius omnino esse videretur universum,

XVI.

Respectu microcosmi finis metallorum est usus varius, cùm Politico-œconomico-mechanicus, tūm in specie medicus.

XVII.

Uſus politico-œconomico-mechanicus, ut varius, ita notissimus est omnibus: Nam & ex his numismata cūduntur, sine quibus nulla commercia peragi; hinc armata conflantur, sine quibus bella commodè non geri; hinc innumera instrumenta parantur, sine quibus artes mechanicæ nullum opus absolvere, nec œconomia administrari potest.

poteſt. Verbo ut dicam, nec toga, nec sagum, nec civitas, nec pagus, nec publicæ neq; privatæ res, ſine hiſ eſſe, citra moleſtiam poſſunt.

XVIII.

Uſus medicus & ipſe quoq; varius eſt: nam & cruda quædam, ex veterum pariter recentiorumq; iſtituto, & beneficio artis ſpagyricæ præparata, ac in magiſteria, tinctorias etc. elaborata, magno humani generis commodo, ad ſanitatem præſentem conservandam, labantem fulciendam, poſtratam & attritam reſtituendam, reparandamque à Medicis adhibentur.

XIX.

Subjectus generationis locus eſt terra, ejusq; intérieurē ſinus & cavernæ; cum primis verò montes, iiijq; non porosi, ut arenarum ſunt congeſtæ moles; ſed ſolido terminati & conclusi ſaxo. Nam & montes cavernosi magis ſunt quam planities, humidiores quin & ob crebriores fontes & calidiores ob ignes ſubterraneos magis frequentes. Hinc & flumina quædam aurifera: cum ex loco nativo, montium cavernis quas alluant & in quibus enaſcitur aurum, idipſum ſuo impetu ſecum abripiant & protrudans.

XX.

Adjuncta metallorum ſunt cùm communia, videlicet variæ qualitates ſenſiles pŕimæ & ſecundæ, que in ſingulis diversæ; eminent verò inter reliquias, color, gravitas, durities mollitiaeſq;. Tùm quæ propria veluti & ſpecifica metallorum iudicantur accidentia, ductilitas videlicet & liquabilitas. Quibus adiçimus transmutabilitatem, à qua transmutatio metallorum pendet.

XXI.

Color ſingulis metallis ſuus: Alius enim auro com-

B

petit,



petit, videlicet fulvus, alias argento candidus, alias alijs metallis, pro diversa principiorum materialium proportione mistione & elaboratione, imprimisq; sulphuris digestione & fixatione.

XXII.

Gravitas & ipsa suos habet gradus, majorq; essevidetur eorum metallorum, qui plus purioris mercurialis principij habent, minusq; alieni sulphuris & scoriarum, accedente debita materiae compactione. Nam reliquis omnibus ponderosius est aurum; hinc argentum & plumbum; dein cuprum; inde chalybs, mox ferrum: minimum vero ponderis est stanno. Quae verò perfecta metallorum sit inter se proportio, vix perquiri potest, tam dissentientibus presertim in hac parte artificibus, imprimis cum non tantum metallorum purorum ad se mutuo, sed & in suo cuiusq; genere aliqua ponderis discrepantia; sic, ut aurum auro, plumbum plumbo, gravius leviusq; deprehendatur, utut magnitudine conveniat, attestante Matthia Berneggero in fabrica instrumenti proportionum Galilei de Galilaeis. Interim tamen doctorum viorum observationes, hac in parte meritè magnificimus, cum eos sperent, ut quam proxime in veritatis cognitionem deducant. Hujus generis est experimentum, quod habetur Tyroc. Beg. l. 2. c. 14. his verbis. Duc quodlibet metallum seorsim per aurifabrorum instrumentum, quo aurum in fila ducunt: deinde cum sunt ejusdem crassitie, scinde illa ut equaliter etiam longa sint, & si, exempli gratia, aurum ponderabit 72. grana, argentum & plumbum, quodlibet nempe seorsim, non plus ponderabunt quam 36. grana, cuprum 30, chalybs 27, ferrum 26, stannum 25. Videri & possunt, que in hanc rem, et si aliquantum discrepantia, habet Neperus in Rhabdot.

XXIII.

Duriora etiam alia, mollioraq; alia esse metalla, in confesso

confesso est, idq; ob eandem principiorum materialium diversam proportionem; quæ enim plus mercurij habent molliora sunt, duriora contrà quæ plus salis & terrenarum etiam fæcum admistum continent.

XXIV.

Du&tilitas est propria metallorum affectio, quâ omnia in laminas duci, et malleo attenuari possunt, orta ex humidi glutinosi cum sicco convenienti temperatione.

XXV.

Liquabilitas est, quâ metallum ignis vi, ita solvi aptum est; ut cōsistentiam succi aut olei cujusdā referat; quam tamen ab igne remotum, iterum exuit, pristinamq; faciem & habitum naturalem resumit.

XXVI.

Transmutabilitas est, quâ communis metallorum materia, in certo aliquo metallo, imprimis imperfetiore, jam coagulata, determinata, & suâ peculiari formâ donata, ita alterari & mutari apta nata est, ut alterius formæ commodum & adæquatum subiectum, priori depulsâ, fieri queat, id quod præstat ars spagyrica in metallorum transmutatione. Hic verò acerrimus conflictus, negantum ex una, ex altera parte affirmantium transmutari posse metalla. Nos à posterioribus ratione & experientia convicti sumus. Vtram vero buc in aciem producemos? Sanè ut instituto serviamus & simul brevitati studeamus experientia & pbalanx sufficiat. Etsi enim non nullæ sunt rationes, quæ veritati patrocinantur, facilius tamen, promptiusq; gignit assensum ocularis demonstratio. Namq; hic

Non opus ingenio est, oculi, te judice, vincent,

B 2

Te, in-



Te, inquam, qui plus quam Vatiniano odio prosequeris transmutationis hoc artificium. Dabimus ergo ex Heliophili à Percis seu R. E. J. disquisitione, de Heliā artistā aureo sane tractatu, & qui maximè in hoc argumento expediendo insumitur, exemplum transmutandi argentum in aurum. Sed heus lucripeta, non tibi hic officiam obtrudit Autor, sufficit artis veritatem, naturamq[ue] vim demonstrasse. Rem ipsam hoc modo aggredere. Rec. Plumbū p. j. quod liquefacat in crucibulo, super carbonibus accensis; postea cum pyrolabe exime crucibulum, & priusquam plumbum congelascat, immittet tantundem Mercurij crudi & vivi; ac leniter agita bacillo. Habeas deinde sulphuris communis item p. j. quod fluat in alio crucibulo, cui fuso injice frustulam superius malagma coagulatum, ac agito spatula, & cave ne sulphurflammam concipiatur, aut aduratur, priusquam omnia inieceris. Inde sponte refrigeratum tere super marmore, & iterum crucibulo impositum fundatur, donec comburatur sulphur, & materia imposta tanta perfluat, ut in virgina effundi possit metallicam, similem antimonio fuso & friabilem. Hujus trita Rec. p. j. & argenti laminati p. j. & fac stratum super stratum in crucibulo, & desuper minutum pistum vitrum venetum imponatur ad spissitudinem digitū, nec minimum repleatur vas, ne vitrum effluat. Ita per horae spatum continuo fundantur omnia, igne intenso, ut vitrum & reliqua sint in fluxu continuo. Postea permitte in frigidari, & diffracto crucibulo exime regulum in fundo, & compone cineritum, cui imponatur plumbum de more, donec intense currat, inde emitte regulum, & fulmina more aurifabrorum, donec argentum mundum subjaceat. Id laminatum vel granulatum, mox in aquam fortē immisum, & dissolutum, nitellas auri profundet, que pulveris nigri instar ad fundum subsidebunt, quas elotas aqua tepida in crucibulo ignias & fundas, & habebis micas auri veri, naturalis, puri puti, omnes proprietates & examina auri naturalis, tā in medicinā, quam in reliquo usū sustinentes. Hec R. E. I. cui alia subjungit,
qua:

que in autore videri possunt. Aliorum metallorum transmutationes vide apud Untzer. Anatom. Spagyr. Mercur. l. 1. c. 17. Liber vium Alchym. l. 2. tract. 1. c. 19. Dauber. Thes. Phys. de corpor. natural. transmutat. Alia exempla, & quidem eorum, qui veram lapidis Philosophici preparationem novere, (inter quos, Alexander Setonius Scotus, de quo Johannes Wolfgangus Dierheimius J. U. & M. D. in tractatu de Medic. Universal. & Sendivogius, apud quem Crollius (qui eum, prefat. Basil. Chymic, Heliocantharum Borealem vocat) tincturam lapidis philosophici, ejusq; vim stupescens vidit) brevitatis ergo, consulto omittere cogimur.

XXVII.

Et hæc de consideratione metallorum generali sufficiant: sequitur specialis. Est itaq; Metallum vel perfectum vel imperfectum.

XXVIII.

Metallum perfectum est quod materiam metallorum communem, perfectius elaboratam, digestam, depuratam, maturatamq; & præstantiore insuper formâ donatam obtinet. Estq; Aurum.

XXIX.

Aurum est metallum perfectum, ex succo metallari rubeo, omnium exquisitissimè misto, perfectissimè digesto elaboratoq; & purissimo, in quo paribus ferè momentis partes salino-sulphureo-mercuriales concurrunt, concretum. Consertur inter sidera soli, in homine cordi. Quo de Crollius. Quod sol in cœlo est, in anima-
li cor, in vegetabilibus vinum, id inter mineralia aurum. Atq; hoc
de causa, ut ait Kerner. in tetrad. Chymiat. prisci sapientes uno
eodemq; charactere hieroglyphico, & solem caelestem, & solem hunc

B 3

mine-



mineralē denotare prudenti consilio voluerunt. Veteres enim, ut ὡς τὸ παρόδων hoc moneam, metallis characteres & nomina cœlestium planetarum, quibus etiam nūm frequenter Chymici utuntur, impertiti sunt, non quidem fortuito & cœo quodam impetu, & inani inepta ve persuasione; sed quod singularem uirū cognoverint singularem correspondentiam.

XXX.

Auri affectiones, ex quibus dignitas ipsius elucescit, præcipue sunt: color solis æmulus, summa gravitas, ductilitas, constantia & soliditas.

XXXI.

Color solis æmulus, ortum suum debet perfectæ materiei puritati & digestioni.

XXXII.

Summa gravitas auri est, quâ auri par quantitas, omnium aliorum metallorum pari quantitatî præponderat; à summâ densitate, & compactione materiæ, quæ in auro, quia nullo alieno & recrementitio sulphure, cœu reliqua metalla, scatet, & quasi discontinuatur, major est, ortum habens. Hinc est quod cum omnia metalla, hydrargo, cœu aquæ ligna innatent, ob minorem materiæ densitatem, & sulphuris alieni copiam, solum aurum mergatur & subsidat; quia, ut ait Bernh. Trevif. nihil aliud est, quam mercurius digestus, non quod nullum sulphur & sal ad solis constitutionem concurrere velit; sed ut indigit, aurum non inquinatum alieno sulphure. Nam & ipse mercurius suum in se sulphur continet.

XXXIII.

Summa ductilitas est, quâ ob tenacissimam materiæ cohærentiam, ex temperie exactissimâ humidi & sicci ortam, in longè tenuiores laminas, quam ullum reliquorum metallorum duci potest.

Summa

XXXIV.

Summa constantia, durabilitas & soliditas auri est; quā nullum senium & æruginem, ceu reliqua metalla sentit, vim ignis constantissimè sustinet, nec ullo pacto in fumos & favillas abit, ob temperiem & puritatem materiæ, quā constat, summam. Experimentum hujus constantie fecisse testatur, Gasto Claveus in suâ Apologiâ, luncia una auri, itemq; argenti (hoc enim auro proximum) puri, duobus vasculis testaceis separatis inclusis, ijsq; in fornacem vitriariorum positis, & per duos integros menses ibidem relictis, nocte dieq; continuò materia in illis liquata & fusâ, quā tandem extractâ, dicit, se deprehensisse, aurum ne minimum quidem de pondere suo amisisse, argentū verò decimam tantum partem. Viderietiam potest experimentum Job. Bapt. Porta in ipsius Magia naturali.

XXXV.

Usus auri in communi vita notissimus est: Hinc enim nummi, vascula, annuli & alia conficiuntur & concinantur: Hoc pictores figmenta sua exornant. Inauratio hoc modo perficitur. Rec. Auri limati aut laminarum auri tenuissimam drach. j. Mercur. viv. unc. j. F. l. a. Amalgama, ut vocant, hocq; perlita vasa, prunis imposita, tamdiu ibidem relinquuntur, quo usq; ardor ignis, Mercurium fugârit, auriq; fulgor reluceat: qui ut illustrior evadat, vasa urinâ puerili abluitur. Fit autem Amalgama hoc modo. Auri limatura aut folia in crucibulo ad ignem posita, tamdiu ibi relinquuntur, donec rufescere incipient; sed non liquefiant; intereaq; in alio crucibulo argentum vivum igni apponitur, sed non propè, ut tantum calefiat. Hinc ablatis ab igne crucibus, miscetur hydrargyrum cum auri limatura, ligno aliquandiu terendo: mox in scutellam aquæ plenam injicitur & fieri Amalgama. Pictores ad suum usum aurum ita molunt, seu preparant. Sumunt Amalgama ex auri p. j. & hydrargyri, p. iiij, paratum, Mercurijq; quantum possunt, per corium exprimen-

primendo, separant, quod de amalgamate in corio restat, cum sulphuris prius optimè contriti parte media conterunt, atq; inde in vase ferreo, probè cooperto, tamdiu igni exponunt, quo usq; totum sulphur combustum, & id quod relictum flavum colorem induerit: deniq; refrigeratum, in paropside aquæ plenâ toties lavant, donec color arrideat, & ad usum servant.

XXXVI.

A Medicis in usum adhibetur aurum, cùm crudum, tum spagyricè elaboratum & præparatum.

XXXVII.

Crudum, cùm à veteribus, tûm etiam à recentioribus quam plurimis ijs admiscetur medicamentis, quæ cordi, vitaliqt; facultati roborandæ, exhibentur: qualia in dispensatoriis & officinis plurima reperire licet.

XXVIII.

Spagyrici ex auro varia, eaq; egregia, conficiunt medicamenta, quæ magno cum fructu, ad cordis vires fulcierandas & conservandas variosq; morbos, ob insignem, quâ pleraq; pollut, diaphoresin, abigendos adhibentur. Sic Theophrastus ex auro parat vitriolum, Sulphur, Mercurium, arcanum, magisterium, liquorem, quintam essentiam, Elixir, Balsarium, Crucum, tinturam, & quod omnium vices & vires supplere potest, aurum potabile. De quibus singulis videantur ejus scripta & Querc. tetrad. Nos ex magno medicamentorum, que ex auro parantur, numero, unum atq; alterum, pro nostro instituto & modulo adducemus, reliqua obiter saltem innuisse sufficiat. Priusquam autem hoc faciamus, monendum, aurum non nisi purum & ab omnibus sordibus, reliquorumq; metallorum misturâ purgatum, adhibendum; id autem consequimur, fusione ejus per antimonium, de quâ tenz. èzey. Chymiat. p. 3. f. 1, vel per cementum & aquas regias purgatione, de quibus Beguin, l. 2. c. 16.

ut au-

Ut autem ad rem ipsam accedamus, vitriolum ex auro parare docet, Parac. Tom. 6. lib. de mort. rer. natural. Begu. Tyr. l. 2. c. 17. Guido magnus de monte in thesaur. Chymiat. Sulphur auri Parac. & Guid. l. c. Mercurium auri Vnzer. in Anat. Spag. Mercur. c. 15. Guido l. c. Quercet. de medic. Spagy. prepar. c. 7. Inter alias vero preparationes, ut vel imprimis hic adducamus, aurum fulminans diaphoreticum, (quod Magisterium auri appellat Tenz. &c. p. 2. f. 2.) stupenda ejus vis nos impellit, qua,

Dum flamas Iovis & sonitus imitatur olympi,
uno altero ve atomo accenso, nec sursum ut pyrius pulvis impete suo vergit, & vel solida metalla perforat, maximam in omnium mentibus gignit admirationem. In medicinâ vero insigne sudorificum Bezoardicum prebet, dosi granorum iiiij. v. vij. in convenienti vehiculo. Quin & ad alia ex auro paranda inservit, ut Crollio ad aurum potabile, Beguin. ad diaphoreticum inde confidendum. Paratur autem in hunc modum. Rec. Auri in lamellas ducti & forfice minutim concisi drach. j. banc in phialâ apertâ, ad lentum calorem, in aqua regie, ex nitri & salis armoniaci partibus equalibus parata, quantitate sufficienti, videlicet uncia unâ solve. Solutioni in vitro amplioris orifice & capaci, guttatum ob ebullitionis vehementiam, in funde olei tartari per deliquium parati, uncias duas, alternatim etiam aquam puram fontanam affundendo, & vitrum interdum leniter movendo. Mox quiescente paululum vase, calx auri ad fundum descendet. Deple aquam supernatantem claram per inclinationem, aliâq; sapis eluendo edulcora, & citra calorem vel lignem leviter exicca, & paratum habebis ceraunochryson seu aurum sclopans mirandarum virium. Porro ex auro tincturæ seu magisteria potabilia, ut alij vocant, partitur, quarum binc inde variae habentur descriptiones: ut apud Parac. in chirurg. magna. Querc. l. supra cit. Sennert. Instit. Medic. l. 5. p. 3. f. 34c. 9. quo etiam prestans illud eximumq; vellus aure-

C

um Cla-

um Clariss. Joban. Weidneri p. m. quod habet Beguin. videtur
referendum. Nonnullis arridet hæc tincturæ præparatio.
Rec. Succi citri per chartam bibulam transcolati, Spiritus salis o-
ptimè rectificati, analine. iij. Auri soliatis drach. j. stent in di-
gestione in B. M. vel post fornacem per mensam. Abstrahere men-
struum donec aurum instar sapæ subnigra restet. Affunde spiri-
tum vini optimum, digere donec in summè aureum tingatur colo-
rem. Dosis est cochlearum unum in morbis desperatis, animiq; deli-
quiis. Deniq; aurum potabile variis modis paratur, & magna
adbuc sub judice lis est, qua ejus legitima sit parandiratio. In-
terim tamen, cum ad veram legitimamq; ejus præparationem pe-
netrare non possumus, cum successu utimur haud contempnendo, ijs
præparationibus seu magisteriis, que à magni nominis viris, felici-
ter usurpata hactenus sunt, ad quæ non immerito referimus, tot
experimentis comprobatum Francisci Antonii Londinensis
Medici aurum potabile seu Magisterium ex auro, cuius de-
scriptionem, enigmatica tamen verborum serie contextam exhibet
autor c. 4. libri sui quem Medicina chymica & veri potabilis auri
assertionem appellat. Atq; illam quidem enigmatica illa larva de-
tracto, ut quidem eam, à side dignissimis, chymiatrica peritissimis
viris, quibus ab ipso Antonio communicata est, accepimus, hic ex-
hiberemus; verum brevitatis ergo, & ne dum theses scribimus,
magnos nimis commentarios, concinnare videamus, omittere co-
gimur. Alias præparationes auri potabilis vide in Guid. magni
de monte thesaur. Chymiat., Tenz. ēzey. in Angel. Sal. Ternar.
Tyroc. Begu. & à Barth. & Gluck. edit. lib. 3. c. 2. Libav. Syn-
tag. arc. Chym. lib. 2. à cap. 10. ad 20. & Apoc. Herm. p. 2. c. 19.
Kerner. tetradi. Sect. de auro. Cælo Philos. Ulfstad. Reusn. de Scor-
but. & aliis quamplurimis.

XXXIX.

Hæc de auro metallo perfecto: Imperfectum metal-
lum est, quod materiam metallicam, minus quam perfe-
quam

Etum elaboratam, digestam & unitam, ignobiliorēq; formā
præditam obtinet, estq; purius vel impurius.

XL.

Purius est Argentum: quod fit ex succo metallari
puriore, albicante, melius elaborato & diligenter per-
misto, ita tamen, ut partes mercurio & sali analogæ
superent sulphureas. Confertur inter sidera macroco-
smi Lunæ, cuius nomine, à Chymicis frequenter appellatur,
eiusq; charactere designatur. Inter partes microco-
smi correspondere cerebro, eiq; dicatum putatur.

XLI.

Uſus in vīta communi proximus auri uſui, nam &
hinc numismata cūduntur, & ornatus gratiā hoc alia perl-
nuntur, pingunturq;.

XLII.

Ut medicinæ locum tenere possit, in affectibus
cumprimis cerebri & nervorum, quorum virtutem speci-
fica quadam vi roborare creditur, variè à peritis Chymicis
præparatur. Huc referendus est liquor Lunæ viridis, Parac.
Tom. 3. l. 2. de virib. memb. & Johannis Hartmanni, Chymie-
tri Marpurgensis, secretior, quem ipse pro Serenissimo Rege Polo-
nie paravit, qui certè insignium est virium, & inter prima nota
medicamenta, ex argento confecta, referendus. Descriptionem
eius apponere prohibet prolixitas. Pertinent item huc variae tin-
eturæ ex argento confectæ. Exemplum tale esto. Rec. Lima-
tura & Luna seu argenti q. p. eiq; admisce salis urinae volatilis, vel
Spiritus urinae optimè rectificati quantitatem sufficientem, & in
lenissimi caloris digestione per diem naturalem relinque. Abstra-
cto per destillationem spiritu seu sale, argenti calcem in fundo re-
peries, colore caruleo. Extrahe affuso spiritu vini tincturam,
quam vel spiritui immistam relinquere poteris, tincturæq; nomine

C 2

ad usum



aa usum servare, vel si ita placuerit, illum destillatione iterum separare, & tum in vitri fundo reperies pulverem seu magisterium argenti, colore cœruleo amoenissimo. Ab hac preparatione non multum abludit tinctura luna Clarissimi Sennerti lib. 5. p. 3. s. 3. c. 9. Instit. Medic. ex lunâ per mercurium sublimatum calcinatâ, beneficio menstrui, ex sale urina volatili & spiritu vini digestione unitis, parati, confecta. Item illa, quam Begu. Tyr. c. 16. adjecit Gluckrad, per spiritum vini, in quo salis armoniaci aliquid fuerit solutum, ex limatura luna parandam. Usus harum tincturarum præcipuus est, in cerebri affectibus, sic earum gutta aliquot, in ve- bicolis convenientibus, exhibeantur: sed & reliqua membra prin- cipalia confortant; secundumq; omnino inter metalla obtinet lo- cum argentum, aurumq; emulatur. Tandem quomodo resolvatur argentum in mercurium docent Unzer in Anat. Spag. Mercur. c. 15. Guid. in thes. Chym. & Begu. Edit. Barth. l. 2. c. 13. Tyr. qui & usum ejus in rem edica explicat. Plura qui de hoc metallo scire haret, legat Libavium, Mylium, Guidonem, atiosq; rei chy- mica & metallica scriptores.

XLIII.

Metallum impurius est, quod ex materiâ metallicâ im- puriore, & præterea minus fixâ & constanti, concretum, facilius vel difficilius liquatur duciturq;

XLIV.

Facilius malleo cedit, & igne eliquatur Plumbum, quod duorum est generum; aliud album dictum, quod usi- tationi nomine Stannum appellamus: aliud nigrum, quod communiter plumbi nomine venit.

XLV.

Stannum est metallum imperfectum, impurius, facilè ductile & liquabile, ex succo metallari impuri- ore albicante, mediocriter elaborato & mixto natum,

ita,

ita tamen, ut partes mercurio analogæ reliquas exuperent. Confertur inter sidera Jovis in humanis partibus Epatis.

XLVI.

Stanni quatuor enumerat genera Beguin. lib. 2, c. 13. Tyr. Primum purum, quod Anglicanum, dulce, & Cornubianum vocant. Secundò commune, quod plumbum admistum habet. Tertiò tinnulum, quod factitium est, & ex centum libris stanni puri, mixtis cum quatuor libris cupri electissimi, & duabus libris reguli martis benè purificati paratur. Quartum dicitur glaciale. Verum si rem, æquâ lance expendamus, primò tantum per se & propriè nomen stanni competit; reliquis non nisi ὄμορύμως, et si vulgo quoque ijs attribuatur.

XLVII.

Usus in vita communi præcipue mechanicus & œconomicus est, ad vasā vel ex eo conficienda, vel ex alijs metallis, videlicet ferro & cupro confecta, incrustanda seu inducenda.

XLVIII.

Spagyricè ex stanno varia conficiuntur medicamenta, cùm ad epar, tūm ad alia inferioris ventris viscera spestantia. Ad Epatis affectus & imprimis obstrukções commendatur Bezoardicum Joviale, quod ita paratur. Rec. Reguli antimonij sine Marte facti Unc. vii, cui in crucibulo fuso addē stanni Anglici purissimi, simul in alio crucibulo fusi, Uncias iiii ita ut fiat mistura. Postea in marmore reduc in pulverem subtilissimum, cui adde mercurij sublimati purissimi Unc. x. ac ex retortâ butyrū inde prolice, ignis observatis gradibus, quod, per tertiam destillationem, cum spiritu nitri fuge. Postea calcina, ignitumq; pulverem in spiritu vini extingue & sicca. Serva. Pulvis erit griseus, qui à gra-

na uno ad duo vel tria exhibitus potentissimè modet sudores, ad obstrunctiones maxime. Hartman. in not. ad Croll. Begu. Tyr. l. 2. c. 12. Ad uterinos affectus ex stanno sal seu magisterium, ut quidam vocari malunt, confessum plurimum commendatur. Id quomodo ex lege artis parandum sit, perspicuè docent Begu. Tyr. l. 2. c. 17. Et Sennert. Instit. Medic. l. 5. p. 3. f. 3. c. 15.

XLIX.

Plumbum est metallum imperfectum impurius, facilius, ductile & liquabile, ex succo metallari albicans impuro & minimè fixo, in quo partes mercuriales impuræ reliquas superant, concretum, & à stanno in eo ferè solum differens, quod illo minus excoccum elaboratumq; sit. Saturno hoc confertur & lieni.

L.

Uſus hoc ſeculo, quo effusa effrenataq; licentiā Mars & Bellona paſſim graſſantur, præter alios, maximus frequentiſſimusq;, ad fulmina bellica.

LI.

Spagyrici ex eo imprimis saccharum, quod vocant, ex eoque oleum ad externos maximè affectus concinnant. Saccharum saturni seu plumbi, quod Et ſal, butyrum, mel, magisterium vocant, quomodo paretur docent Crollius in Basilic. chymicâ inter externa, Beguin. l. 2. c. 17. Sennert. instit. l. 5. p. 3. f. 3. c. 15. Ex eo oleum ſeubalsamus conficitur hoc mado. Rec. Sacchari Saturni q. p. ſolve, loco calido, in ſpiritus Terebinthinae quantitate ſufficienti in rubedinem claram; hanc deſtilla per reſortam in excipulum vitreum in arenâ, igne primum lento, donec ſpiritus Terebinthinae prodierit: quo ablato, alioq; appoſito vase recipiente ignem augē paullatim, donec Et fortiſſimum adhibueris Et prodibit balsamus ſeu oleum praefans; in vulneribus, ulceribus cancro,

cancro, polypo, noli me tangere &c. Hartm. in notis ad Begn. Es.
Saccharo quoq; Saturni Spiritus inflammabilis pallatur. Prepa-
rationem ejus docet Begn. l. 2. c. 4. Tyr. Porro minium quoq;
& cerussa ex plumbō constantur; illud quidem, plumbō ut ignis
ad rubedinem calcinato, ut docet Begn. l. 2. c. 14. Hac plumbō
vapore aceticoroso, Sennert. Instit. V. 5. p. 3. s. 2. c. 6. Querc.
tetrad. c. 33. Deniq; in mercurium quoq; vivum facili negotio
redit Saturnus; sicut id videre est apud Linzer. Anat. frag. Mer-
cur. c. 15. & Heliophilum à Percis in tractatu de Helia artista.

LII.

Metallum difficilius ductile & liquabile est &as &
ferrum.

LIII.

Aes est metallum imperfectius impurius, diffi-
cilius ductile & liquabile, ex succo minerali rufescen-
te minus puro & fixo, in quo partes salinæ & reliquias
vincunt, genitum. Alias vocatur Cuprum & confertur
Veneri & huic dicatis in homine partibus.

LIV.

opus Æris usus varius; cum in mechanicis tum oecos-
nomicis, isq; satis notus. In remonetaria non nunquam
auri argentiq; defectum supplet.

LV.

In usum medicum parantur, crocus, viride æris,
vitriolum. Croci usus magnus est in chirurgiâ, immisceturq;
eiam emplastro, quod Paracelsus Opodeldoch appellat, ad eum si-
nem quomodo parandus sit, describit Wirtzius in suâ chirurgiâ 2.
c. 14. part. Et Anshelmus Boetius de Gemm. Est & creucus elegan-
tissimus ex cupro cum sulphure calcinato, & magno postea igne re-
verberato, utilissimus ad ulcera fistulosa. Viride æris & Manspe-
culane



*Julanis extrahi vapore vini & racemorum, meminit Quercet. te-
trad. c. 33. Ipsiis etiam vinaceis acercentibus condi cuprum ut ar-
uginem fundat, notat Weckerus Antid. special. c. 43. Ubi etiam
alios modos cum aceto & urina paranda aruginis ostendit. Ex ar-
rugine Spiritus elicetur acidus per se vel adjecto Sulphure per re-
sortam destillata, qui rectificatus loco Spiritus Vitrioli interdum
adhiberi posset. In Vitriolum deniq; es redigi potest vel cal-
cinatione cum sulphure, de qua vide Crollium Bas. Chym. in speci-
fico stomachico, vel aceto, ut babet Beguin. Tyr. l. c. c. 17.*

L VI.

*Facitium hoc pertinet metallum, quod orichal-
cum dicitur (Plinio aurichalcum,) ex quatuor æris & u-
nâ cadmiæ glebosæ parte, alternis stratis commistis, asper-
so felle vitri, peculiari artificio excoctum. Libav. lib. 2. Al-
chym. tract. 1. c. 31. Sunt qui olim nativum voluerint: Ho-
diè sanè nativum reperiri omnes uno ore negant,*

L VII.

*Ferrum jam sequitur, quod est metallum imperfe-
ctum, impurius, difficilius ductile & liquabile, ex suc-
co minerali impuro multis admistis fæcibus, in quo
partes salinæ impuræ, sulphureas & mercuriales supe-
rant, constans. Confertur Marti & vesiculæ felleæ.*

L VIII.

Ferrum purius solidiusq; chalybs appellatur.

L IX.

*Usus ferri in communi vitâ tam in Republ. quam
privata, nemini non est notissimus: Hinc enim varia, bel-
li pacisq; tempore maximè necessaria fabricantur instru-
menta, adeò ut qui de eo plura afferre niteretur, facem in
meridie accedere velle videretur.*

Maximus

Maximus quoque ejus tām crudi quām artificis manu & industria depurati & variē præparati in medicinā usus; adeò ut Angelus Sala, Chalybs, exclamat, durissimum illud aridumq; & siccum metallum, in obstructiōibus viscerum, cachexiā, ictericiā, alijsque quamplurimis affectibus, prorsus γένερος χαλκός esse videtur. Chysol. sect. 3. cap. 1. Crocus ex ferro duplex paratur, alter adstringens, sistens fluxiones, partesq; roborans: alter aperiens, attenuans, abstergens, purgans simulq; corroborans. Utriusq; varias præparationes vide apud Sennert. Instit. l. 5. p. 3. f. 3. c. 16. Tenzel. in iżey. Chymiat. p. 3. f. 2. Beguin. lib. 2. cap. 15. & alios passim Chymicos scriptores. Tincturas etiam varias, ad eundem, cūm aperiendi, tūm adstringendi scopum, parant Medici. Exempla vide apud Henricum Petreum Nosol. Hermet. dogmat. disser. 33. th. 50., Crollium Basil. Chym. Sennert. l. 5. p. 3. f. 3. c. 9. Instit. Medic., Mercat. lib. 2. de virgin. & viduar. affect. cap. 6. & 18. Inter alias autem præparationes cūm croci, tūm tincturæ Martis aperientis faciliè eminet ea, quam jam subjungimus. Est ea Clarissimi atque Excellentissimi Viri, Dn. Gothofredi Weidneri J. U. & Med. Doctoris & Prof. P. præceptoris & fautoris mei parentis loco colendi, qui eā sapissimè magno cum successu usus. Est autem ea talis. Recip. Limatur & chalybis optima, reverberat & prius & in calcem per ignem fortissimum redacte, huic affunde olei vitrioli rubri quantitatem sufficiētem, pone in arenam, subjectoq; igne digere per diem naturalem, dum ex fermentatione fiat pasta, & tandem massa quasi lapidea; banc exime & in cucurbita vitrea affunde illi, aquam fontanam claram & puram, vel pluviam destillatam: digere iterum: postea quod clarum est per chartam bibulam filtra: residuo rursus aliam affunde aquam & iterum digere, donec non amplius sapor

D

vitri-

Vitriolicus percipiatur. Filtra per chartam. Hinc aquas filtratas
abstrahē ad medianam partem, usq; dum cuticula superius appare-
at. Loca in locum frigidum, ut fiant crystalli, quas collectas ablue
aqua frigida, & sicca: quod reliquum est humidi totum abstrahē,
donec in fundo concretas videas crystallos, alias enim aliquotā
parte defraudarē. Has deinde calcina in tigillo firme, igne aper-
to, semper ferreo baculo movendo, usq; dum vertantur in pulve-
rem sive crocum spadicei coloris, cavendo ne nimium intendatur
ignis, & color desperdatur, inq; nigredinem abeat materia; ita
obtinebis crocum Martis subtilissimum elegantissimumq;, ma-
gnarum in solvendis viscerum oppilationibus virium. Huic croco
affunde Alcohol seu spirit. Vini optimè rectificati tantum, ut qua-
tuor digitos emineat. Digere donec tingatur: effunde tinctum,
aliumq; affunde, idq; toties repeate donec non amplius tingatur af-
fusus spiritus. Filtra per chartam, & in Balneo maris medianam
partem spiritus vini rursus abstrahē, & quod relinquitur erit
tinctura Martis. Dosis gutt x. xv, ad xx, in juscule vel alio con-
veniente vehiculo. Subijciamus jam antequam finem his thesibus
imponamus chalybis in Mercurium reductionem, ex Helio-
phili à Percis tractatu supra citato, momentaneam. Apparatus
talis est. Limetur chalybis semuncia, & ponatur in crucibulo,
superimponatur semuncia salis armoniaci minutissime triti, cum
Uncia Mercurij sublimati (qui non cum arsenico, sed cum sali-
bus & vitriolo sublimatus sit) permisti & prius pisti: mox cruci-
bulum collocetur in medio leniter accensarum prunarum, idq; sub
camino aut aëre libero. Quam primum calorem senserit sal armo-
niacum, cum sublimato incipiet sublimari. Cavendus autem est
odor, propter Mercurij venenositatem, ne imprudentius naribus
excipiatur. Paulo post incipiet sal armoniacum cum sublimato
fundi & fluere, quo ad tria vel quatuor momenta peracto, (visu
enim tutò percipitur sub camino) statim crucibulum auferatur &
& sponte refrigescat: postea super patellā diffractum, monstrabit
chal-

chalybis limaturam, majore ex parte sui, in argentum vivum ab-
bisse, quod patella vel vitro exceptum, per linteum exigatur vel
corium; unde perspicietur limpidissimum & ita vivacis naturae
ut, in plano decurrens, quasi subsiliat, adeo ignea natura est Mars
sive chalybs: quin ne in vase ligneo, ne sensim evolet, penè nulla
observandi ratione, conservari potest, sed in solo vitro firmiter
obsignato. Est tamen verum ac naturale hydrargyrum, omni
proprietate hydrargyri constans &c. Atq; bac
de metallorum cum naturatum usu bre-
viter sufficiant.

PROBLEMATA.

1.

An Mercurius seu argentum vivum sit accen-
dum metallis? Ita sanè quidam statuunt: Sed veritati ma-
gis consentanea est sententia eorum, qui hydrargyrum è
numero metallorum excludant, cum propriis specificisq;
affectionibus, quas corpus metallicum habere debet de-
stituatur; nec enim metallicam obtinet soliditatem, nec
igniri, fundi, aut malleo duci potest. Principium itaq; po-
tius metallorum, non propriè metallum dicendum erit,

2.

An Antimonium sit metallum? Hoc etsi quam
proximè ad metallicam naturam accedere videatur, pro-
priè tamen metallum vocari nequit: neq; enim sub malleo
se extendi patitur, etiam si fusile sit; sed friabilis est succus
metallicæ naturæ proximus.

3.

An aurum artis beneficio ita præparari possit, ut ru-
bini instar pellucidū appareat? A. Jucundum id artis

D 2

& na-

& naturæ ludentis est spectaculum, idq; brevissimo tempori spatio expedire norunt periti artifices ; quibus quoq;, etiam si hoc imperitorum fidem excedat, ob difficilem aliâs fusionem, leve & momentaneum opus, ferrum citram omnem cliquare & ferruminare ignem.

4.


Num Chymica, & cum primis è mineralibus & metallis confecta medicamenta, quia summæ sunt activitatis & minimâ dosi exhibentur, tanquam venenata, ex agro medico sint proscribenda? N. Namq; & Bezoartica & aromata actuosa sunt & penetrantia, parvaq; dosi exhibenda veniunt : nec tamen hæc venena, sed præstantissima *iduæ*. Accedit experientiæ testimonium, quod mineralia & metalla alexipharmacæ egregia, artis beneficio, exhibere, morbosque aliâs incurabiles evincere confirmat.

5.

An metalla sub certâ aliquâ constellatione fusa, certisq; characteribus insignita, peculiarem aliquam & occultam adversus morbos & alia fortiantur efficaciam? *ἐπέχομφ*.

F I N I S.





01 A 6512 (A)




f

TA → 0C

nur Stück 10 bisher verknüpft
und Stück 39

R 1012





13.

THESES PHYSICO-
CHYMICÆ,

De

METALLORUM
CUM NATURA, TUM USU,
EOQVE CUMPRIMIS CHY-
MIATRICO,

Quas,
JEHOVAH OPT: MAX:
ANNUENTE,

Permissu Superiorum,

In

Almâ Septemvirali Viadrinâ

P R Ä S I D E

M. JOANNE FRANCIO

Wolaviensi Silesio,

ventilandas proponit

DANIEL LUDOVICUS

Bernburgo-Anhaltinus,

Medicinae Studiosus.

Id. February hora 7. matut.

Typis exscriptis

MICHAEL KOCHIUS,

ANNO

Æra Christianæ

M. D. C. XXIV.

Farbkarte #13

